



COMMUNE HOC MORI Æquè
EST, ATQVE illud nasci: et utrumque
cento suo die & horâ. Longævum aliquid in
hac machina est; nihil æternum. Fatum enim
illud temperat & disponit fata cuiusque nostrum. Ne-
mo conditorem latet: in oculis eius omnes sumus, quo-
cunque fugimus, imò in nervo & in vinculis. Caduca
& fragilis res homines sumus: sed ut simus etiam, cum
non sumus, & ut maximè simus, dependet ab industria
juvenili. Reliqua oriuntur & abeunt nobiscum, nec
stirps aut gens remanet: fama tantùm longa, bonis stu-
dijs & artibus comparari potest. Huius rei præclarum
exemplum dedit nobis Taubmanus, qui & ipse sibi com-
paravit famam satis bonam & magnam: id egit ipse cum
Seneca loquor, ut meliore sui parte duraret, & compositis
in genij operibus, à mortalitate se vindicaret. Quamdiu
fuerit literis honor, quamdiu steterit aut Latinæ linguæ
potentia, aut Græcæ gratia vigeat cum maximis viris:
quorum ingenijs se vel contulit, vel applicuit. Poëta
verè nobilis. Ah poëta qualis vir? Fabulæ eius epulæ,
sub quibus velut involucris atque integumentis omnis
doctrina elegans, omnis digna ingenuo homine cogni-
tio, omnis denique sapientia continetur. Deus bone
quæ mens poëtæ! quam celeris in illo cogitatio, & icu
oculi, cælum, terras, maria pervadens! quæ memoria
capax! quæ ratio subtiliter colligens & concludens! mens
& manus assurgunt, & incalescunt ad asserendum. Ani-
mus momento omnia pervadit, sideribus velocior, tem-
poribus velocior. Sed hæc extra scopum. Ad Taubma-
num igitur redeo; & si meritò pudor vetat, & admira-
tio